

nam ordinis Carthusiensis scriptus per fratrem eiusdem ordinis Anno domini M. D. V. Ihesus Mirabere, dicebam; si enim Codicem optime servatum pervolvam, altius illi aevum facile tribueris; ita Scriptor antiquiora Exempla dextre imitatus est, nobis cautioni, ne temere nimium de genio τὸν Γεωφύκην, Codicumque aetate pronunciemus.

DCCCLXXVII.

- U. 659 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 471. 8. min. per duas columnas minute, sed mirum nitore perscriptus, auro et coloribus illustratus hanc notam praefert: *Joannes Buesus Hispanus Romanorum &c. Regiae Majesta-*

tis (Ferdinandi I.) Capellanus et elemosinarius ex pietate huic (ad D. Nicolaum) Collegio dono dedit. 1537. igitur consueta Fabri Ep. Formula praefixa, quae incipit: Emptus est iste Liber &c. non satis huc congruit. Continet vero Codex hic Preces canonicas, sive Breviarium, et quidem pro D. Francisci Familia, ut vel praemissum Calendarium docet, in quo praeter alia Ordinis Festa jam Festum portiuncule et sacrorum stigmatum beati francisci miniata visuntur. Calendarium excipiunt varia Praescripta de Officii ordinatione, etiam metrica, e quibus specimen deligo de legendis per decursum anni Libris bibli-

Adventus proprie vult sermones ysaye.

Post natale sacrum recitat sacra lectio paulum.

Quinque libri moysi tibi septuagesima missi.

Tu quoque mosaicos lege quadragesima libros.

Vult sibi scripta legi hyeremie passio christi.

Actus apostolicus sequitur post pascha legendus.

Hinc apocalypsim lege canonicasque uicissim.

Post pentecostem regum liber exit in hostem.

Inde per augustum sumit sapientia scutum.

Per totum mensem sapiens salomon tenet enssem.

Contat september iob tobiam iudith hester.

Octobri mense machabea trophea recense.

Ezechiel primo lege postremo daniellem.

His lectis repetas bissex in fine prophetas.

Sequitur Officium ipsum tam de Tempore, quam de Sanctis, cum Ritu sepeliendi, qui Precationes admodum pias, et dignas, quae in usum reducerentur, continet. Breviarium istud in Italia scriptum

fuisse, docent fol. 466. p. 2. frequentia: *Queste sono sette interrogazione da fare alo infirmo chi more. secondo ch'ebbe sancho Anselmo. et si esso confessa queste cose cum la bocca e creda cum il cuore.*

2121

LITURGICI.

2122

cuore. *elo non de dubitare de la sua salute.* Interrogationes hae latine habentur in edit. *Opp. Anselmi Paris.* 1721. p. 194. f. et bis *Vol. I.* a me relatae sunt.

DCCCLXXVIII.

- U. 662 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 606. 8. maj. eleganter exaratus, rubricis enotatus, olimque ejusdem *Job. Fabri*, itidem *Breviarium* est, et quidem ad *Bobemiam* pertinens, ut fidem faciunt Divi Tutelares Regni in *Calendario* praevio minio distincti. Inter Officia de Sanctis *fol. 595.* comparet *Caroli M. Imperatoris confessoris non pontificis*, et *fol. 599. Longini martyris.*

DCCCLXXIX.

- U. 660 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 616. 4. min. bene quamvis non una manu perscriptus, coloribus illustratus et anno 1533. *Matbaei Mlakbar Isauratii*, pariter *Breviarium* est, et quidem Dioec. *Salisburgensis*, ut in praefixo *Calendario* mense Martio *Depositio S. Rudberti ep.* Junio *Erndrudis v.* Septembri *Translatio S. Rudberti ep.* et *Virgilii ep.* Novembri *Depositio S. Virgilii* rubricata denotant, item in ipso decursu *fol. 543. p. 2. Finita collecta fiat processio ad sanctum Rudbertum. fol. 545. p. 2. In dedicatione ecclesie que celebratur proxima die post rudberti in ecclesia salzburgeni,* et *fol. 549. p. 2. Finita oratione fiat processio ad san-*

ctum Virgilium. Oratio in utraque dicenda incipit: *Omnipotens sempiternus deus altare hoc nomini tuo dedicatum &c.* Qui hodie ad recitandas Horas canonicas tenentur, comparent ordinatissima Exemplaria sua cum vetustis ejusmodi *Breviariis*, et de commodis suis sibi gratulentur.

DCCCLXXX.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 17 XV. Folior. nunc 481. f. primum lineis longis, dein a *fol. 87.* per duas columnas, probe scriptus, coloribusque varius sacrum Chori Officium, quod vulgo *Breviarium* audit, complectitur, pertinuitque olim ad Ecclesiam Metropolit. *Strigoniensem* in *Hungaria*, ut liquet e sequentibus. Praeit *Calendarium*, in quo miniat *Gerardus, Adalbertus, Ladizlaus, Stephanus &c.* Regni Tutelares. Ad *Februarium* manu Sec. XV. notatur: *Anno domini 1465. prima die Mensis Februarij Obiit Rmus dominus Dionisius de Zects Titt. Sancti Ciriaci presbiter Cardinalis Archiepiscopus Strigonien. et in Regno Hungarie legatus de latere &c.* Ad *Julium* eadem, qua *Calendarium* scriptum est, manu: *Anno d. M° CCCC° XXI. feria sexta proxima ante festum sancte (Margaritae Virg.) hora serotina obiit venerabilis bone memorie dominus petrus prepositus Ecclesie Strigonien. cujus Viri etiam Epitaphium hiulcis constans versibus ad marginem inferiorem legitur, in quo audit:*

Y 2

Pau-